

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Elenchus Vitae huius auctoris.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598

ELENCHVS VITAE

hujus auctoris.



Guilielmus Forbesius, S. theol. doctor, episcopus primus edenburgensis, parentibus honestis fuit editus, patre *Thoma Forbesio*, cive aberdoniensi, modestia & morum probitate nullis non probato, & genere natalitio ex illustri Forbesiorum familia, melioris notae civibus consociato & conjuncto, & matre *Fancra Cargilla*, sorore germana Jacobi Cargilli, aberdoniensis medicinae doctoris celeberrimi: unde viget adhuc, semperque vigebit grata parentum Forbesii memoria, & vitae ipsorum innocentia testata, at majore prolis virtute condecorata.

Natus est *Aberdoniae*, quae civitas est in septentrionali Scotiae plaga sita, almae academiae, & dignitatis episcopalis sedes eximia; quae olim *Athenae caledoniae*, & studiorum generalium gloria nuncupabatur. Hic natus, hic edoctus & educatus Forbesius, hic virtutis semina jecit, quae progressu temporis in gloriosam messem evaserunt.

Duodecimum vix egressus annum, cum primum in schola grammaticae, linguae latinae & graecae magnam sibi notitiam comparasset, felicissimi ingenii magis magisque excolendi gratia, ad collegium mareschallanum sese recepit,

b 2.

& in

Elenchus vitae auctoris.

& in matriculam almae academiae aberdonien-
sis se dedit. Vbi quum totum quadriennium
non minus feliciter, quam obstinate, studiis
philosophicis operam dedisset, tandem emenso
philosophiae curriculo, ad *magistri in artibus*
gradum est evectus, & viro clarissimo, Gil-
berto Grayo, gymnasiarchae, plurimum ob sin-
gularem modestiam & in studendo indefessam
diligentiam carus, ad *professionem logicae* in eo-
dem collegio est adscitus; & illic in docendo
logicam Aristotelis, quam tum a Rami calumni-
is fortiter vindicabat, summa cum laude, &
auditorum profectu, quatuor posuit annos.

Vbi autem absoluto hunc in modum pri-
mae adolescentiae stadio, aliquantum adolevit,
viginti natus annos, ad ulteriorem scientiae
perfectionem & rerum *ἐμπειρίαν* comparan-
dam anhelans, *peregrinationem* in exterar regio-
nes suscepit. Atque ubi Dantiscum pri-
mum cum popularibus suis appulisset, ipsis
ei nequidquam suadentibus, ut, relictis litera-
rum studiis, mercaturae rem faceret, *Prussiae*
& *Poloniae* magna parte peragrata, propositi
tenax, in *Germaniam* tandem, ad majus operae
pretium in studiis faciendum contendit; com-
pertum habens, ibi maxime florere theologia
studia, quibus prae aliis ipse impensius delecta-
batur. Jamque Germaniam ingressus, celebra-
rimas academias, praesertim *Juliam & Heidel-
bergensem*, invisit, instructissimas bibliothecas
perlustravit, scripta Patrum diligenter evolvit,
Scholasticorum operosa volumina scrutatus est,
&

Elenchus vitae auctoris.

&, ne eruditionis theologiae apicem praeteriret, sanctae linguae hebraicae vehementissimam dedit operam ; adeo ut in illius peritia judaeum quemvis aequare videretur. Et ex his seminibus foecundo solo satis & coelo benigno nutritis prodeunte ocyus generosa messe, omnium doctorum, quibus innotuit, encomiis, praeconiis, clarissimus philosophus, eximius theologus, & trium linguarum peritissimus celebratus est. Hic permotus fama academiae lugdunensis, multis & magnis orthodoxae religionis luminibus coruscantis, relicta Germania, in qua quatuor transegit annos, plenus eruditionis & laudis, in Belgium commigravit. Cumque *Lugdunum Batavorum*, celebris academiae sedem, attigisset, ecce fama jactatur, (namdiu illic inter academicos latere non potuit) doctissimum scotum inter illos clam versari, cujus modestia se suasque dotes palam ostentare non patiebatur. Illico accitus ab academiae proceribus, venit, & Scaligerum, Grotium, Vossium, Heinsium, Hommum, Jachaeum, magni nominis philosophum, cognatum & compatriotam, aliosque literatorum coryphaeos convenit, notitiam amicitiamque cum illis contraxit, & variis colloquiis & amicis disputationibus hinc inde exercitis, eandem promovit & adauxit. Paucos post menses ipsis valedixit, & discedenti frequens academiae senatus amplum incredibilis facundiae, prompti & expediti ingenii, & multivariae eruditionis testimonium perhibuit.

Elenchus vitae auctoris.

In Galliam deinde & Italiam peregrinationem instituere cogitabat, quam tamen prae valetudine adversa, quae tenue & infirmum corpus, magnae animae malum hospitium, distinebatur, aggredi non ausus, in Angliam transfretandi consilium capit, & intra paucos dies, velis ventisque secundis usus, nobilis Londini oris allabitur. Et ut lux e longinquo hominibus se videndam praebet, sic delata ad illustrissimam Oxoniae academiam, Europae lucidissimum sidus, fama singularis doctrinae, & incomparabilis in sancta lingua peritiae Forbessii nostri, a laudatae academiae Praefulis ad professionem linguae hebraeae liberali proposito praemio ille invitatur. Sed invalescente febre triduana non illic diu subsistere sustinuit. Nam consultis medicis Regis, praesertim Craggio compatriota, serenissimi regis Jacobi, augustae memoriae, archiatro, in patriam, ad nativum aërem hauriendum, redire suadetur & impellitur. Tandem post quinquennale peregrinationis ambitum, in Scotiam revertitur, & natale solum Aberdoniae, ubi primos edidit vagitus, revisit. Redux autem bono cum Deo factus, quam clero gratus, quam amicis carus, quam omnibus expectatus fuit! Consul Senatusque aberdonensis, omnibus humanitatis officiis complectuntur, & iuxta Bonae Concordiae pristinam consuetudinem, ad testandum tam eximio viro, concivis filio, feliciter reduci benevolentiam, municipem creant, & jus municipale diplomate, urbis insignibus & sigillo muni-

to,

Elenchus vitae auctoris.

to, consignant & confirmant. Hic paucos com-
moratus dies, juxta medicorum de natalis aëris
beneficio praesagium, meliuscule se habere in-
cipit. Et sic Deus illi prospexit, ut, paulatim
viribus corporis resectis, & vi morbi deserve-
scente, ad *ecclesiae alfordensis ministerium*, in illa
diocœsi haud ignobile, a patrono comite Forbe-
sio principe gentili sollicitaretur. Cui vocatio-
ni moram gessit, & ministri munere, paucos
illic annos, defunctus est.

Verum ingenium tam excelsum, eruditionem
tam profundam, pietatem tam sublimem, in ru-
sticana latere villa, voluntate Dei non permis-
sum iri, tandem aliquando exitus comprobavit.
Nam eloquentiae in concionando fama percre-
bescente, (erat enim orator non tantum velox,
& vehemens, sed mellitus & patheticus) non
solum aures demulcentis, sed corda ferientis &
multum flectentis, postulatis Aberdoniensium
invitatus, & calculis cleri incitatus, ad *verbi di-
vini praeconium Aberdoniae* suscipiendum induci-
tur. Vbi magno cum populi gaudio, magno au-
ditorum fructu, animarum compendio, ipsius
indefessa diligentia evangelium praedicavit, sa-
cramenta administravit, rudes in fide instituit,
flagitiosos a scelere ad meliorem vitae rationem
traduxit, errores & haereses convulsit, veritatem
fallaciarum involucris constrictam expedivit, &
ut summatim dicam, omnia sacra ministerii &
religionis purioris officia percoluit.

Serenissimus rex Jacobus, ejus nominis Sco-
torum sextus, magnae Britanniae & Hiberniae
b 4 primus,

Elenchus vitae auctoris.

primus, cujus beata memoria apud omnes adhuc fervet, Scotiam, antiquam patriam, magno invivendi desiderio captus, cum magna pompa & magnificentia regia, edenburgenſi, lithgov. ſterling, falcolan. magnificis palatiis, quae olim Regum Scotorum, & regiae prolis erant habitacula, perlustratis, tandem Andreopolim, primatis Scotiae, & illuſtris univerſitatis ſedem, attingit; quo ſelectum clericorum conventum indixit, ut de arduis ſcoticanae eccleſiae negotiis cum illis conſultaret. Inter alia, conſultum & conventum eſt de dignitatibus ſcholasticis, quae obſoletae, & temporis praefcriptione fere emortuae, recuperandis, & ad priſtinam vitam & vigorem reducendis. Privilegia jactabant academiae, ſed non uſurpabant, aut ſaltem uſurpare non audebant. Proinde auctoritate regia, & unanimi cleri conſenſu, quod ſtatutum eſt, factum confirmant; & Regis mandato Jo. Junius S. Theol. doctor, regius ſacellanus, ſcotus, vir pius & doctus, promotionis muneri designatur. Poſtridie aut perendie oratione docta & ornata praevia, Hovaeum, Bruſſium, Lyndeſium, Forbeſium noſtrum, Strangium, &c. viros omni laude maiores, libro, pileo, annulo, *theologici doctoratus ornamentis*, donavit, amplexuque fraterno in ſocietatem theologicam recepit, & S. theologiae doctores creavit.

Exinde theologiae doctor, ſed afflicta nonnihil valetudine domum reverſus, conſueti more, verbi miniſterio incumbit, nec ſegnescit, donec fragile corpus tot laboribus & ſudoribus impar, & in-

Elenchus vitae auctoris.

& indies gravi concionandi munere magis magisque attritum, fatiscere & oneri succumbere cogitur. Sed Senatus populusque aberdoniensis, municipis sui, & pastoris dignissimi, cum adversa valetudine conflictantis, & in deterius vergentis, vicem & conditionem graviter dolens & deflens, quae remedia ejus vitae proleandae, & ipsius angelico contubernio fruendi, conquiri possint, excogitant. Tandem collegii mareschallani praefecturam tunc vacantem, provinciam leviolem & magis honorariam, ejus praesenti infirmitati, quae a concionandi munere laxamentum postulabat, leniendae, maxime idoneum pharmacum iudicant, & in hanc sententiam omnes conspirant. Nulla mora. Impetrato a comite Mareschallo, collegii fundatore & patrono, diplomate, collegii mareschallani praefectus seu gymnasiarcha constituitur. Hanc provinciam seriis votis commendatam non detrectans, & mira dexteritate & sollicitudine procurans, gymnasiarcham meritissimum & scholae philosophicae moderatorem insignem se demonstravit. Et ne collegii legibus fundatis deesset, quibus cautum est, ut gymnasiarcha ad aperienda fidei mysteria, & reconditos divini verbi thesauros sese applicet, & hebraeae linguae cognitionem propaget, binas singulis septimanis praelectiones theologicas habuit, & terna vice iuventuti, quae in spem ecclesiarum educabatur, hebraeae linguae perdiscendae compendiarium viam proponit & docet; adeo ut studiosos, qui sacris initiati, aut sacrae scien-

Elenchus vitae auctoris.

tiae consecrandi erant, diatribis suis, recondita literatura plenissimis, ad altiora munia ecclesiastica idoneos praestiterit, & ut incautam juventutem, adversus multiplices hostium veritatis strophas, instrueret, & praemuniret, nullum laborem subterfugerit.

Jam ad gymnasiarchatum, alius accedit scholasticus honos, & ab episcopo aberdoniensi, & senatu academico, ad ejus profundam eruditionem obstupesciente, *decanus facultatis theologiae* designatur, ut candidatorum examini praesit, respondentium patrocinium suscipiat, & ad gradus promotor promotionis munus exequatur.

Mox hoc munere defunctus ad *rectoris magnifici* dignitatem, qua nulla post cancellariatum, qui episcopalis sedis peculiare privilegium est, sublimior, evehitur. Cui officio cum omni laude & omnium gratia defunctus est, ut nulli tunc temporis in academia vixerint, qui ope & praesidio Forbesii, non se aliquid doctrinae ad bene & recte sentiendum, vel exemplum ad pie & honeste vivendum, adeptos esse faterentur.

Vnum restat nobile industriae & praefecturae monumentum praedicandum, quod si tacerent homines, mœnia, ligna, testa loquerentur, *collegii aedificium*, quod olim Franciscanorum hospitium erat, palatii in morem quadrilaterum, praeter unum latus, quod honestus quidam civis aberdoniensis instauravit, fere lapsum & ad rudera revocatum, postliminio excitavit, splendori pristino majori restituit, & *librariae eleganti*, quam & extruxit, & post alios in-

in-

Elenchus vitae auctoris.

instruxit, fabricam exornavit. Postea *fanum Francisci*, quo nihil magnificentius in illa urbe visitur, ex lapide polito & quadrato constructum, semidirutum, bubonibus, hirundinibus, aliisque coeli volucris ad nidificandum patens, elemosynis undique conquisitis & hilariter collatis reparandum, & vitreis fenestris collustrandum curavit. Hic gymnasiarcha duos praefuit annos, omnilaude & memoria dignissimus, & natus ad collegii ornatum & commodum, idemque rebus sic ad mentem & sanitatem compositis, Aberdoniae, ubi primam hausit lucem, bono cum Deo expirare decrevit.

Sed summatim reliqua pars vitae est percurrenda, quae variis casibus & fortunae vicibus fuit exposita. Cives edenburgenses eloquentis & pii pastoris cupidi, omnes unanimi consensu Forbesium cogitant, compellant, & nullum non movent lapidem, ut ipso potiantur, & animarum curae Edenburgi admoveant. Sed Forbesius molestam interpellationem aegre ferens, tandem recollecta mente gratias quam potuit maximas Edenburgensibus agit, quod se tali dignarentur honore, & iussit, excusatum habere, quippe qui fragilis aetatis reliquias nativae sedi destinavit & devoverit. Vbi rumor ad Aberdonienses permanavit, hi fremere, obstrepere, Edenburgensibus indignari, & , ut a cœpto desistant, obnixè rogare. Sed frustra tam hi, quam ille, reluctantur. Nam Senatus supremi, & Synodi provincialis edicto cavetur, ut *provinciam pastorem Edenburgi* non amplius detrectet,

Elenchus vitae auctoris.

ſtet, ſed hilariter amplectatur. Jam nulla mora, cum moroſum & difficilem ſe praeberē, & po- teſtati tam eccleſiaſticae quam politicae reniti nefas: itineri ſe accingit, & multis hinc inde lacrymis ſiſis populo aberdonienſi benedicit, valedicit, & intra paucos dies, magna comitante catterva, Edenburgum, Scotiae metropolin, ingreditur, & ſummo cum populi concuſſu & applauſu recipitur, & paſtorali officio inauguratur. Sed, Deus bone, quam repente paſtoris & gregis diverſa mens, quam diſpar opinio, circa diſciplinam eccleſiaſticam, & eccleſiaſtici regiminis formam! Edenburgenſes, genevenſis diſciplinæ zelotæ, episcopomaſtiges, & preſbyterorum *ἱερογυῖαι*, acerrimi propugnatores, Forbeſii ſanam doctrinam de episcoporum primatu, multis conviciis inceſſere, ipſumque pontificiae profeſſionis reum inſimulare non verebantur. Ille contra modeſte & ſolide in concionibus ad clerum & populum, primatum episcopalem, verbi divini auctoritate, praxi apoſtolica, & primitivæ eccleſiae conſuetudine niti, & non ab humano inſtituto ortum habere demonſtrabat. Quum autem tot exantlatos labores populo iſti inſrugiferos, & velut ſemen in agro ſterili ſatum, nullos fructus proferre, inſuper tenue & macilentum corpus urbis fumo involutum periclitari animadverteret, ſtatuit, communicatis cum optimis & intimis amicis conſiliis, ſeſe hoc iugo paſtorali expedire, & Aberdoniae, ubi prius fuerat, animarum curae incumbere. Quam
pri.

Elenchus vitae auctoris.

primum hoc ejus propositum Aberdoniensibus compertum, illico gaudio summo perfusi, procuratores liberali viatico instructos, Edenburgum delegant, ut municipem suum Forbesium *Aberdoniam* reducant: quo cum salvus & mediocri valetudine suffultus *rediisset*, clerus gratulatur, populus exultat, faustis acclamationibus omnes excipiunt. Sed emerfit non multos post annos nova occasio, Forbesium a carissimo grege avocandi, quae ipse immaturam acceleravit mortem.

Carolus, ejus nominis primus rex Britanniae, anno 1633. Londino egressus cum magno apparatu & splendido comitatu omnis generis aulicorum, & cum selecta & gravi turba patrum spiritualium, episcoporum, sacellanorum, & aliorum sacerdotum, Scotiae Edenburgum proficiscitur, ut avita regni Scotiae corona insigniretur, & sacro oleo rex Scotiae inungeretur. Repente accitus Forbesius, cum suis symmystis, cultissimi ingenii & sanctissimi genii viris, ut Regem perpolitus suis concionibus, & seriis precibus clero expectatum & gratum pronuncient. Adfunt. Ipse vice prima, ut statutum est, ad concionem coram Rege habendam se sistit; ubi demandatum sibi pensum tanta doctrina, tanta efficacia exolvit, ut eximiam angelicae ipsius doctrinae & facundiae venerationem exhibuerint Rex & omnium ordinum auditores. Dum hoc accedit ad doctrinae & facundiae laudes, quod non solum *memoria polleret tenacissima*, unde vulgo dictum, quod *ignoraret, quid sit ob-*
livis

Elenchus vitae auctoris.

livisci, sed etiam *judicio sublimato*, quo rerum
controversarum pondera & momenta acutissi-
me expendebat & trutinabat. Rex Carolus, ec-
clesiae nutricius pater, & religionis orthodoxae
industrius propagator, ad compescendam luem
presbyteralem, quae diu australem ecclesiae sco-
ticanae partem afflixit, & ad regimen episcopa-
le promovendum, *episcopatum edenburgenum*,
perenne suae pietatis monumentum, fundavit,
amplis redditibus locupletavit, aedibus spatiosis &
speciosis, cum hortis, pomariis, pascuis, basilicae
regiae & sano sanctae Crucis finitimis, dotavit,
& nihil omisit, quod ubivis terrarum, a
quovis fundatore, ad dignitatem episcopalem
amplificandam fieri consuetum est. Cum Rex dis-
cedens, ab archiepiscopo andreapolitano, Sco-
tiae primate, consuleretur, quem huic episcopa-
tui virum idoneum praeficere instituerit, respon-
dit Rex: *Quem, nisi Forbesium, celsiore, ut no-*
sti, dignitatis gradu dignum? Proinde hunc ac-
cerse, & juxta canones ecclesiasticos, episcopum
edenburgenum consecra & renuncia. Archiepi-
scopus literis ad Forbesium scriptis, horum o-
mnium certiolem facit, qui paulo post auctori-
tate regia, annitentibus praesulibus, communi-
bus cleri suffragiis, secundum priscos canones,
episcopus edenburg. consecratus & renunciatus est.
Sed hic quam subita mutatio! Dum episcopus
Forbesius multa praeclara parat, egregia moli-
tur, paci & reformationi dioeceseos suae appri-
me necessaria, ecce, graviori corripitur morbo,
& mens praescia futuri, augurata est, instare sibi
ulti,

Elenchus vitae auctoris.

ultimum aevi terminum. Proinde tanta cum tranquillitate mentis sese ad mortem componebat, ac si in alieno versaretur foro. Mox se recipiens in lectum, primumque animae salutis prospiciens, sacram eucharistiam, extremum vitae viaticum, sibi administrari curavit, quam sincera peccatorum confessione, & sacerdotali absolutione percepit: deinde, ne corpori curando deesset, medicos consulendos accersivit, qui, quantum per artem & industriam fieri potuit, indies vi morbi invalescenti obnitebantur, sed frustra, quum indomita mali pertinacia ipsi quoque arti opprobrium faceret. Tandem cal. Aprilis anno 1634. cum episcopatum tres tantum menses tenuisset, & vitam annos 49. de praesidio & statione vitae ab imperatore summo evocatus, *animam exhalavit*, & quidem placidissimo finem itissimoque, qualem antiquitas obvenire maximis saepe & sanctissimis viris observavit.

Corpus, animae hospitium, honorifice *sepultum est*, in templo cathedrali, Edenburgi, versus orientem, & compositum tumulo prope locum altaris illic olim siti.

Pauca scripta: scire enim maluit, quam scribere, & hoc diæterium scripturienti cuidam, & ei magnos labores ostentanti, lepide, sed solide usurpavit: *Lege plura, & scribe pauciora. Opus hoc posthumum*, quod iam in lucem prodit, est pacati ingenii & moderati animi ingens specimen & indicium: in quo tanquam alter Cassander & catholicus moderator, rigidas & austeras utriusque

qvc

Elenchus vitae auctoris.

que tam reformatae quam pontificiae partis opiniones in quibusdam religionis controversiis componere, saltem mitigare satagit. Quanti *moderationem* fecerit, ostendit dicto illo frequenter usurpato: *Si plures fuissent Cassandri & Wicelii, non opus fuisset Lutheri aut Calvino.*

Scriptit etiam elaboratas & nervosas *Animadversiones in IV. Bellarmini tomos* in tribus voluminibus editionis parisiensis emissos, & eruditis notis sua manu exaratis margines omnes, infra, supra, & a latere, in utraque pagina, tria volumina percurrrens, replevit: quas Robert. Baroni-
us, S. theol. D. & professor ei succedaneus, vir in omni scholast. theologia & omni literatura ver-
satissimus, tanti fecit, ut omnibus contra Bellar-
minum scriptis praetulerit, & nisi, proh dolor! immatura morte praeventus fuisset, prelo subji-
cere, & publici juris facere proposuerit. Jacue-
runtque in ejus museo, post obitum disiectae
schedae plures eruditissimae, quibus theologicae
controversiae non parum potuerunt illustrari; li-
cet illas nobis inexpectata auctoris mors, magno
rei literariae dispendio, haecenus inviderit.

Sic vixit, sic mortuus est episcopus Forbesius, vir vere apo-
stolicus, antiquitatis catholicae callentissimus, qui nulli prio-
rum, ab aevo apostolico, doctrina, sanctitate, humilitate, tem-
perantia, modestia, gravitate, orationis & ieiunii publici &
privati frequentia, bonorum operum praxi, industria paupe-
rum cura, clinicorum crebra visitatione & consolatione, &
omnivaria virtute christiana, erat secundus. Cuius beatam me-
moriam nullum tempus delebit, nulla vetustas oblitterabit.



(O)

Consi.